



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 4. An ut hæc utraque materia validè consecretur, debet esse moraliter
præsens consecranti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

S. Thom.) vinum aliquando ita debile est, ut per aquam in magna quantitate, licet minore, facile corrumpatur. Sufficit autem una aqua gutta sensibilis; cum ad signum sensibile, & significationem convenientem sufficiat. Ad validam verò consecrationem necesse est ut major sit quantitas vini quàm aquæ, quia materia Calicis est solum vinum usuale. At tale non esset, si vinum aquæ non prædominaretur; & res mixta non esset potius vinum quàm aqua. Quare c. 13. *de celebrat. Miss.* dicitur perniciosus abusus, quòd plus aquæ quàm vini in Calicem infundatur.

Resp. III. Hæc mixtio necessariò fieri debet. 1. Tempore Missæ & in ipso sacro Calice, nam alioqui non esset Cæremonia sacra, nec sacram significationem haberet. 2. Ante Calicis oblationem, ob Ecclesiæ usum: unde graviter peccaret qui eam tunc omitteret. Quòd si illa mixtio ante Calicis oblationem facta non fuisset, fieri debet ante Calicis consecrationem, nam usque ad illam subsistit ratio & tempus præcepti ac significationis, non post; quia tunc prohibetur, & cessat tempus, ex Missal. Rom.

Q. 4. *An ut utraque hæc materia validè consecratur, debet esse moraliter præsens consecranti?*

Resp. Aff. Quia 1. ita traditio & praxis Ecclesiæ in facto Christi fundata; Christus enim

consecravit materiam præsentem, & non dedit potestatem Apostolis faciendi, nisi quod ipse fecerat. 2. Id exigit veritas formæ, quæ continet pronomen demonstrativum. *Hoc, hic*: nihil enim demonstrari potest ad sensum, nisi sit moraliter præsens. 3. Alioqui Sacerdos posset totum panem, qui nunc in hac urbe vel tota regione existit, consecrare.

At sufficit moralis præsentia: nam hæc sufficit ad veritatem formæ. Ad moralem autem præsentiam materiæ, ex communi hæc requiruntur. 1. Ut consecrans sciat materiam ibi esse. 2. Ut materia sensu aliquo percipi possit, non tamen necesse est, ut in se videatur, vel tangatur à Sacerdote; sed sufficit ut in eo loco sita sit, in quo à consecrante possit sensu percipi, sive in se, sive in alio, ut in suo toto, vel proximo continente aut vase ad illam continendam destinato. Sic Hostiæ quæ latent sub aliis multis in cumulo censentur Sacerdoti præsentem; nam id censetur moraliter præsens, quod potest demonstrari humano modo ad sensum per pronomen. *Hic, hoc*, independentem ab omni alio signo. 3. Ut si propinqua qualis debet esse res, quæ velut in usum humanum assumenda, demonstrari potest pronomine, *hic vel hoc*: alioqui non esset præsens more humano. Sed cum definiri nequeat, quænam absolutè requiratur propinquitas, in re incerta servari debet praxis Ecclesiæ non consecrantis, nisi materiam valdè propinquam.

quam. Item materia debet esse coram Sacerdote, alioqui non posset demonstrari per *ly hoc*, strictè sumptum, per quod debet significari res præsens independenter à circumstantiis, & ab omni alio nutu & signo. *Requiritur ut materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote,* ait Missale Rom. de defect.

Hinc non potest validè consecrari materia licet vicina, si sit à tergo, vel sub mappa, vel post parietem, aut aliud corpus opacum, quod non habeat rationem thecæ, seu vasis proximè illam continentis; nam tunc non est moraliter præsens consecranti, nec ullo sensu demonstrabilis. E contra Hostiæ in pixide seu Ciborio clauso contentæ consecrantur, si ad eas dirigatur intentio; quia ad moralem præsentiam rei sufficit, quòd proximum ejus continens, ad illam continendam destinatum, sit præsens; quemadmodum vinum in lagena clausa censetur moraliter præsens & demonstrabile ei, cui lagena est præsens; quia ratione continentis proximi contentum præsens est, & demonstratur.

Quædam circa hoc dubia sic resolvit recentior Theologus. 1. Si Hostiæ non sint in ipso altari, sed alicubi prope illud, v. g. si in credentia ex oblivione sint relictæ, probabiliter non consecrantur, quamvis Sacerdos antea habuerit intentionem eas consecrandi. Tum quia non videntur connaturaliter designari

R s

per

per *ly hoc*; tum quia præsumi non debet Sacerdos voluisse intentionem suam extendere ad eas contra præxim & præceptum Ecclesiæ consecrandas in eo loco, in quo non possunt sine gravi culpa consecrari.

2. Si sint positæ quidem in altari, sed alicubi extra Corporale ad latus, res est dubia, & maximè pendet ab intentione Sacerdotis. At si positæ sint, non quidem supra Corporale, sed prope illud, v. g. à parte Evangelii inter librum & Corporale, videntur consecratæ, quamvis Rubricæ præscribant, ut ponantur supra Corporale, sicut verè consecrantur in Ciborio clauso super Corporali posito, licet Rubrica præcipiat tunc aperiri in ipsa consecratione, sicut in prima oblatione: nam possunt sufficienter demonstrari per *ly hoc*.

3. Gutte vini, quæ Calici separatim à toto adhærent extrinsecus, non consecrantur: cum enim consecrari licitè non possint, præsumi non debet Sacerdos intendere earum consecrationem. De iis verò quæ intra cuppam sunt separatæ à toto, variant sententiæ: unde pro praxi expedit ut Sacerdos semel pro semper intendat non consecrare, nisi id, quod est præcisè continuum.

4. Sacerdos de vera hostiarum consecratione rationabiliter incertus vel dubius, debet eas sumere post Sanguinem; vel, si nimis multæ sint, rogare alium Sacerdotem, ut in suo Sacro dum unam alteram hostiam absolutè
con;

consecrat, simul eas intendat consecrare, sub conditione, si non sint consecratæ; vel id ipse die sequenti in suo sacro faciat. Quòd si dubium sit de valore consecrationis alterutrius materiæ pro sacrificio constitutæ, debent iterum verba consecrationis super illam materiam proferri sub conditione: & si dubium sit de valore materiæ, v. g. quia præsumitur vinum esse acetum, vel aqua plurimo vino mixta, debet certam aliam consecrare, ne sacrificium imperfectum relinquat, & post Communionem sumere materiam dubiam.

Q. 5. An ad validam consecrationem necesse est, ut materia consecranda determinetur in particulari per intentionem Sacerdotis?

Resp. Aff. Quia 1. Missale Rom. de defectu sic habet: Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat; quia requiritur intentio. Secus, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat, nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet. 2. Quia actiones sunt circa singularia determinata: ergo intentio Ministri, quæ est causa practica consecrationis, ferri debet circa materiam determinatam. 3. cum forma Eucharistiæ sit demonstrativa, exigit determinationem rei demon-
stran-